

Explica tertiam petitionem.^l

Fiat voluntas ^mtua sicut in coelo sic et in terra.^m Vetus latina lingua „voluntatem“ intelligit „actionem“, seu ipsum velle. Ita hic „voluntas Dei“ significat ipsum velle Dei seu hoc, quod vult Deus. Collatio addita „sicut in coelo, sic et in terra“ 5
monet nos de exemplo sanctorum angelorum, qui in coelo et seruiunt Deo magna cum laetitia et sunt spiritus casti, humiles, veraces et conformes voluntati seu legi diuinae.

[101:] Quae est sententia tertiae petitionis?

Petimus, vt Deus nos flectat ad obedientiam congruentem cum ipsius voluntate in vocatione, in priuatis moribus et in aerumnis, deinde, vt impediatur omnes actiones publicas et priuatas repugnantes voluntati diuinae. 10

Quomodo fit voluntas Dei?

Voluntas Dei primum fit in singulis vocationibus, quando fideliter administrantur mandata officia iuxta dictum Pauli: „Hoc requiritur in ministro, vt sit fidelis.“¹⁸⁶ Deinde fit in vita priuata, cum vnusquisque suos mores regit pie erga Deum, caste erga seipsum, iuste erga 15
alios, sicut Paulus inquit ad Titum 2: „Ambulemus in hoc saeculo pie, iuste et caste.“¹⁸⁷ Postremo fit in aerumnis, quando iuxta Petri dictum: „Humiliamus nos sub potenti manu Dei, vt nos exaltet tempore oportuno.“¹⁸⁸

Explica quartam petitionem.ⁿ

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. [102:] Appellatio „panis“ significat, quidquid ad huius corporalis vitae sustentationem pertinet. Enumeratio 20

^l Holzschnitt: Sturz Jesu unter dem Kreuz (Mt 27,32; Joh 19,17): B.

^{m-m} tua etc.: A.

ⁿ Holzschnitt: Speisung der 5000 (Joh 6,1–13): B.

¹⁸⁶ I Kor 4,2.

¹⁸⁷ Tit 2,12.

¹⁸⁸ I Petr 5,6.